



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

2. Cognatio spiritualis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

§. III. Cognatio Legalis.

IN Iure Civili (sura hæc habes ap. Sanc. l. 7. disp. 63.) communi conceditur, ut quilibet possit sibi adoptare quempiam in filium, quinque positis conditionibus. Prima, ut Adoptans sit sui iuris. Secunda, ut sit vir. Tertia, ut sit potens ad generandum. Quarta, ut sit maior 25. annis, excedatque Adoptatum saltem 18. annis. Quinta, ut non possit quis adoptari in eo cognationis gradu, quo forte coniunctus est cum Adoptante, Filius v. g. naturalis Adoptantis non potest adoptari in filium adoptivum, & nepos naturalis, quamvis possit adoptari in filium, non tamen potest adoptari in nepotem, &c.

Hæc omnia implicite comprehendit vulgata descriptio Adoptionis, quæ est hæc. *Adoptio est extranea persone legitima assumptio.* Per vocem enim illam (*legitima*) notantur primæ quatuor conditiones, per vocem (*extranea*) notatur quinta, eo modo, quo iam explicatum est, siquidem hæc per illam non significatur, personam adoptatam, debere carere omni gradu naturali coniunctionis, sed solum eo, ad quem assumitur.

2. Si queras, cujus auctoritate huiusmodi Adoptio expedienda sit. Dico, eam expediri posse ex auctoritate Magistratus Inferioris Summo Principe, & posse ex auctoritate ejusdem Principis Summi: cum hoc tamen discrimine, ut facta ex auctoritate Supremi Principis (quæ consuevit proprio vocabulo appellari *Arrogatio*, estque in Iure perfectissima Adoptio, neque fieri potest, nisi Arrogans sit ætatis saltem 40. annorum) facta, inquam, sic, habeat hos duos effectus. ut Arrogatus transeat in potestatem Arrogantis, & ut sit ejus hæres necessarius, etiam ex Testamento; qui effectus Adoptioni communi nequaquam conveniunt.

3. In eodem Iure, apud eundem Sanch. Civili ex dicta Arrogatione, vel Adoptione, quam cognationem legalem appellamus, tres oriuntur dictæ cognationis species. Prima, est in linea recta inter Adoptantem, & Adoptatum. Vide mox n. 5. Secunda, in linea collateralis inter Adoptatum & filios carnales Adoptantis, legitimos tantum ex Coniunctis. disp. 32. de matr. n. 44. sed ex Pontio l. 7. matr. c. 41. n. 8. etiam illegitimos. Tertia, inter Adoptatum, & uxorem Adoptantis, & item inter Adoptantem, & uxorem Adoptati.

4. His præmissis aio. Ecclesiam approbasse has prædictas tres species cognationum, & in reverentiam, quæ ab adoptato filio debetur Patri assumenti ipsum in filium adoptatum, eas ita approbasse, ut etiam voluerit, inter illas personas iam memoratas in tribus dictis speciebus invalide celebrari matrimonium, & consequenter cognationem legalem esse impedimentum dirimens.

5. Primam speciem ex dictis, quæ est in linea recta approbavit Ecclesia, ut impedimentum dirimens in Decreto, C. ita diligere 30. quest. 5. & illud quidem, ut non solum contraheretur ab Adoptato, verum etiam ab ejus filiis, & nepotibus, qui essent in ejus potestate eo tempore quo celebraretur adoptio, duratque in perpetuum, idest etiam finita Adoptione, ut notat *ibidem*, Sanch.

6. Secundam Speciem approbavit eadem Ecclesia, ut impedimentum dirimens, in Decretalibus; sed est temporale. Finitur enim finita Adoptione.

7. Tertiam speciem approbavit Ecclesia tacite, & ex antiqua consuetudine, nam cæterum id expresse non reperitur in Iure Canonico.

8. Ex dictis duæ, ut vult Sanc. l. 7. d. 63. n. 28. personæ v. g. Titius & Maria aliàs inter se coniunctæ si ab eodem adoptatæ fuerint? Rursus Adoptans & Mater Adoptati, vide eundem *ibid.* Præterea, secundum Perez d. 30. sect. 4. num. 4. Adoptans, & filia nara ex filia Adoptiva, hæc, inquam, personæ non habent inter se cognationem legalem, quia non sunt in illis tribus speciebus num. 3. numeratis, quas solas induxit Ius Civile, quasque approbavit Ecclesia. Quare illæ poterunt inter se validum inire matrimonium.

M

g. Benigna

eos, qui usque ad quartum, nec eos, qui usque ad septimum, nec eos, qui usque ad infinitum, ita, ut hi potestem afferant nunc Adamum, si resurgeret, non posse ullam ducere ex mulieribus Univerſi, quia omnes sunt ab illo per lineam rectam descendentes, quæ, & similia videri possunt apud Sanch. aliosque citatos.

22. Quoad lineam transversalem, nullum ejus gradum dirimere matrimonium de Iure naturæ etiam inter fratrem, & sororem, sed solum Iure Ecclesiastico, mihi item probabilius videtur. Id, quod vide apud eundem, scilicet Pontium l. 7. c. 32. citantem S. Th. Sorum, Alensero, G. Hart. d. 17. de matr. diff. 5. Perez loc. cit. sect. 5. aliosque, quamvis non negem Vasquez, Sanch. Rebell. Valenz. quos sequitur, citatque Bonac. de matr. q. 3. p. 5. §. 1. n. 12. aliosque Doctissimos viros putare, primum gradum in linea hæc transversali dirimere matrimonium Iure naturæ, qualis est inter fratrem & sororem.

§. II. Cognatio Spiritualis.

Hæc est vinculum, seu connexio inter aliquas personas procedens ex regeneratione spirituali, idest est Baptismo, vel Confirmatione, nam ex aliis Sacramentis ejusmodi cognatio nequaquam oritur.

1. Ea autem multipliciter oriebatur ex Iure antiquo: hodie tamen redacta est à Tridentino, sess. 24. de Reformatione, cap. 2. lege Sanch. l. 7. d. 54. num. 9. fuisse explicantem locum hunc Tridentini ad quatuor capita. Nam Primum, contrahitur nunc cognatio spiritualis à Baptizato, vel Confirmato cum Baptizante, vel Confirmante.

Secundò, ab eodem Baptizato, vel Confirmato cum Patrino, vel Matrino (Compare, & Commare) & hæc duæ cognationes vocantur Paternitas, vel Filiatio utque spiritualis, quasi is fiat filius illorum per regenerationem spiritalem.

Tertiò, à Patrino, vel Matrino cum Patre, & Matre Baptizati, vel Confirmati.

Quartò, à Patre & Matre Baptizati cum ipso Baptizante, vel Confirmante, & hæc præterea duæ vocantur Comparternitas, quasi hi fiant simul Patres Baptizati, vel Confirmati.

Breviter in Baptismo (idem in Confirmatione) Baptizatos spiritualiter coniungitur cum Baptizante, & cum Patrino, vel Matrino per Filiationem, Pater vero, & Mater ejusdem Baptizati coniunguntur cum eodem Baptizante, & cum Patrino, vel Matrino per Comparternitatem.

3. Quæ speciatim requiruntur, ut hæc spiritualis cognatio nascatur, & alia valde plura ad hanc cognationem pertinentia dixi satis de Baptismo, l. 2. de Baptismo, c. 4. §. 2. a. num. 19. Illud vile est, vel addere, vel recolligere, si quis baptizet, vel confirmet, vel sit Patrinus necessarius Baptizatum, vel Confirmatum esse filium hujus, vel illius, adhuc contrahere, ut vult Aversl. quest. 16. de matr. sect. 2. Ver. Habet hæc spiritualis, cum his cognationem, ignorantia enim non valet impedire id, quod Ecclesia ejusmodi actionibus adnexuit.

4. His præmissis, Affero cognationem spiritalem prædictam, esse impedimentum dirimens matrimonium, contrahendum à personis, inter quas eam esse iam diximus n. 2. idque ex Iure Ecclesiastico, non autem ex Iure Naturali, vel Divino, ut clare constat ex Sacris Textibus. Toti titulo de Cognat. spirit. c. 30. quest. 1.

5. In hac autem cognatione spirituali non numerantur gradus aliqui, sicut in præcedenti cognatione naturali numeravimus, sed solum coniunctio, & impedimentum est inter personas prædictas, eaque in perpetuum, hoc est, etiam si moriatur persona, ratione cuius illa coniunctio contracta fuit, ut cum communi docet Sanch. loco cit.

6. Si eadem cognatio forte superveniat Matrimonio iam contracto, an impediatur petitionem, vel redditionem debiti conjugalis, dixi prioribus, cum de Baptismo l. 2. de Baptismo c. 2. §. 2. n. 10. & c. 4. §. 2. n. 17.

Pars III.